



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 154. Aliæ Constitutiones in Sacris Congregationibus jussu Pontificis editæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67313)

Sæc. XVII. A. C. 1616. stianæ Congregationem ad pristinum statum reducens, eam sub Generale seu potius Provinciale natione Gallo ad Laicorum conditionem revocabat. Die autem vigesima septima Augusti idem Pontifex inhibuit, ne Monachi Ordinis S. Benedicti Congregationis Cælestinorum dignitates, gradus & munia, sæcularium favore, illicitisque viis procurarent, pluribus in eos, eorumque fautores pœnis interminatis. Denique hoc anno summus Pontifex Academiam Paderbornensem, quam Theodoricus Episcopus erexerat, Apostolica auctoritate firmabat.

§. CLIV.

Alicæ Constitutiones in Sacris Congregationibus jussu Pontificis editæ.

Præterea variæ hoc anno Constitutiones, ac decisiones circa Ecclesiæ ritus & disciplinam a diversarum Congregationum Consultoribus auctoritate Pontificis prodire, & quidem die vigesima secunda Januarii Congregatio Episcoporum declarabat, quod Regulares confessiones ægrotorum in eorum domibus sine licentia Parochi excipere valeant, licet illum monere debeant de confessione facta. Die autem trigesima

ma ejusdem Mensis Sacra Rituum Congregatio decidit, quod Clavis ad S. Hostiam repositam in Feria quinta Coenae Dominicæ non sit tradenda Laico quantumvis Nobili, & Priores Confraternitatum SS. Sacramenti, non ante Umbraculum post Capitulares, sed a latere Umbraculi incedant, Celebrans vero, absente Episcopo, thurificandus sit triplici ductu: declaratum pariter die quinta Februarii, quod Clericis ludentibus vel inspectantibus non sit imponenda pœna excommunicationis vel suspensionis a Divinis contra Confessarios, qui absolvunt transgressores. Decisum quoque die duodecima Martii, quod Presbyteri alicujus Ecclesiæ intra limites propriæ Parochiæ non valeant propriam Crucem erigere, sed sub Cruce Parochiæ incedere debeant, Archidiaconus vero, si est prima ejus dignitas, teneatur facere officium Presbyteri assistentis, si est Sacerdos, & recusans, cogendus sit pœnis & censuris, uti decrevit S. Congregatio Rituum die vigesima octava Maij, qua etiam declaratum, quod Cineres Episcopo feria quarta Cinerum ministrare, non ad primam dignitatem, sed ad Canonicum ea die celebrantem pertineat. Die decima Junii S. Congregatio Episcoporum decidit, quod Confessario clausuram

Sæc. XVII.
A. C. 1616.

Sæc. XVII. A. C. 1616. ingrediente Moniales omnes secedere debeant, nec aliæ præsentēs sint, præter Superiores & illas, quæ eas comitantur: Ejusdem vero Mensis die decima septima in S. Rituum Congregatione declaratum, quod Canonicus Hebdomadarius Officium peragens, locum habere debeat ante omnes dignitates, & Canonicos. Notanda etiam est S. Congregationis Episcoporum decisio die decima nona Novembris emanata, qua declaratum, quod si peregrini habentes casus non Reservatos a suo Episcopo, confiteantur in itinere simplici Confessario subdito Episcopi casus illos reservantis, non queant absolvi, atque irrita sit ejusmodi absolutio sine licentia Ordinarii, secus vero si habuerint reservatos a suo Episcopo, confitentes simplici Confessario subdito Episcopi non reservantis. Denique die vigesima Decembris statutum, quod Sacerdotes Regulares nequeant excipere Confessiones Mulierum Tertii Ordinis de Pœnitentia, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad audiendas sæcularium confessiones.

§. CLV.

Illustrium Personarum obitus.

Merc. Gal-
lob. t. II. l. 2. **I**nter Principes, qui hunc annum vitæ suæ postremum habuere, sola recensetur